



## Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex  
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &  
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium  
similitudinibus conscripta ...**

**Duplan, Theodore**

**Ruraemundae, 1663**

10. Tripolis, portus & civitas maris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-12221**

**A**ngulus est unus porrectus acumine trino ,

Una figura patet, forma trigona placet.

**A**ngelos tres cerne pires, unam aspice formam :

In Triade est paritas, est Monas atque Trias.

S Y M B . 8. de eodem.

**I**N numeras Triadis singat mens nostra figuras ,

**I** Angulus effigies vera trigonus adest.

Una figura placet, trino sed acumine dispar ,

Personas referens angulis iste triplex.

Indivisi h̄erent, spatiū discriminat impar ;

In Triade est paritas, disparitasq; simul.

S Y M B O L U M 9,

*Triarij apud Romanos.*

**A**Ccipe digestam Romanis legibus olim

Belli aciem, Triadis signa dedisse putes.

Velite constabat prior ordo, Tirone secundus,

Tertia pars palmæ spem Veterana dabat.

Sola Trias meritò dicenda Triaria, sola

Subsidio supereft, sola coronat opus.

N. Triarij, erant milites fortissimi, qui in legione Romana ultimi erant. Hi, si quandoque res fuisset in periculo, in fronte acierum poplitibus flexis stabant, ita ut potius animam amitterent, quam de loco decederent. Unde ortum est illud proverbium cum res sunt dubiae aut periculosæ, ad triarios ventum est; alij erant principes & tirones; primi hastati seu Velitarij.

S Y M B O L U M 10.

*Tripolis, portus & civitas maris.*

**M**ens humana poli procul exul ab urbe vagaris ,

Quid mundi immundâ figis in urbe pedem?

In-

In cælis Tripolis, statio fidissima mentis,

Facta tibi sedes fixa, beata Trias.

Despice terrenas urbes, hunc suspice portum;

Huc disiderij dirige vela tui.

N. 1. Tripolis, est civitas trigemina, quoniam Tyrij, Sidonij, & Aradij. Iam obtinent. Hinc Tripolitana regio dicta est. Sunt autem duæ hoc nomine, Africana scilicet, & Syriaca in Phœnicio. Oppida Tripolis Africana sunt Abrotonum, Tophia, & Leptis magna. Pomponius mel. lib. 1, in descript. Phœniciaz. N. 2. Tripontium, Est oppidum Uinbriæ, sic dictum quod tres pontes habeat.

### SYMBOLUM 11.

*Tripondium seu Trilibre.*

**A**ugustæ Triadis (a) Scriptor ter maximus, inquit,

Est mihi pondus amor, quò feror, hocce feror.

Ignea nata animis vis est amor, attamen ecce

(b) Ad terrena meum cor, meus urget amor.

Corda leva sursum Trias hocce tripondio amoris,

Ad peritura caro pronior ipsa ruit.

(a) S. Aug. Epist. 9. (b) Talis quisquæ nostrum est, qualis est ejus dilectio. Terram diligis, terra eris: Deum diligis, Deus eris. ait S. Aug. tract. 2. in epist. 1. Joan. Charitatem quasi trinitatem creatam patris: in qua trinitate, quasi Pater est dilectio Dei, e qua procedit dilectio, qua se homo diligit, tamquam proles à parente: ab utrèque verò dilectio proximi procedit, quasi spiritus S. ab utrèque. Istæ dilectiones sunt in una substantia charitatis, sed diversæ in propria persona. Ita Innoc. III. in Encomio Char. post comment. 7. Psal. Penit.

### SYMBOLUM 12.

*Triclinium.*

**H**Ospitium quām vile mihi, quām pauper & æger!

Re angusta domi, terrea massa domus.

Quām